

eo milia passuum viginti quinque; iubet media nocte legionem proficisci celeriterque ad se venire. Exit cum nuntio Crassus. Alterum ad Caium Fabium legatum mittit, ut in Atrebatum fines legionem adducat, qua sibi scit iter faciendum. Scribit Labieno,¹ si reipublicae commodo facere posset, cum legione ad fines Nerviorum veniat. Reliquam partem exercitus, quod paulo aberat longius, non putat expectandam; equites circiter quadringentos ex proximis hibernis colligit.

¹So. ut.

XXV.

An "armed council" of the Gauls is summoned (Caes., Bell. Gall., V., 56).

Indutiomārus, ubi intellexit Nervios bellum Romanis parare, neque sibi voluntariorum copias defore, armatum concilium indicit. Hoc more Gallorum est initium belli: quo lege communi omnes puberes¹ armati convenire consueverunt, qui ex iis novissimus² convenit, in conspectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus necatur. In eo concilio Cingetorigem, alterius principem factionis, generum suum, quem supra demonstravimus Caesaris secutum fidem³ ab eo non discessisse, hostem iudicat bonaque eius publicat.⁴ His rebus confectis in concilio pronuntiat, arcessitum se compluribus Galliae civitatibus; se iturum per fines Remorum eorumque agros populaturum ac, priusquam id faciat, castra Labieni oppugnaturum. Quae fieri velit, praecipit.

¹adult. ²last. ³fidem sequi, support. ⁴confiscate.

XXVI.

Death of Indutiomarus (Caes., Bell. Gall., V., 58).

Interim Indutiomārus ad castra Romana accedit atque ibi magnam partem diei consumit; equites Gallorum tela coniciunt et magna cum contumelia nostros ad pugnam evocant. Nullo ab nostris dato responso, sub vespere dispersi ac dissipati discedunt. Subito Labienus duabus portis omnem equitatum emittit; praecipit ut territis hostibus atque in fugam coniectis unum omnes peterent Indutiomarum.